



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis  
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris  
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius  
Marius Victor, Claudius**

**Lvgdvni, 1536**

Divi Alchimi Aviti Viennensis archiepiscopi in libellum de consolatoria  
castitatis laude ad Fuscina[m] sororem Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12149**



## DIVI ALCHIMI AVITI

Viennensis archiepiscopi in libellum de  
consolatoria castitatis laude ad Fuscina  
m fororem Præfatio.



Post consummationem libellorum quos non sicut uouerat edidit dispositio mea, sed tua sodaliumque pia festinatio affectuosa quidem sed inconsulta præripuit, cogis insuper tibi specialius dari uersus illos, quos ad uenerabilem Fuscina m fororem nostram de consolatoria castitatis laude conscripsi: quos ego post denunciatum poematis finem, epigramma rectius dicerem, tu primum libri nomine uocitasti, hoc scilicet uocabulum prolixitati eius asserens conuenire. Quapropter habe me etiam in hac parte famulantem iudicio imo potius affectui tuo: quoniam profecto iniquum est, ut cui parui in maioribus, in exiguis contradicam. Meminerit autem pietas tua hunc ipsum, quem sic uocas libellum, uel de religione parentum communium uel de uirginibus nostrae familiae familiariter disputantem illis tantummodo legendum dare, quos re uera nobis aut uinculum propinquitatis aut propositum religionis adnectit. Dotes enim ex materiae qualitate meriti que, germanae sanctimoniali compositas uix uel tibi crebra uictus iussione credo: quando aut qualiter uenire in manus extraneorum uelim? Sane a faciendis uersibus pedibusque iungendis pedem sum de cetero relaturus, nisi forte euidentis causae ratio extorserit alicuius epigrammatis necessitatem, cuius tantam exiguitatem fore polliceor ut ei aliud nomen assumere nec ipse praesumas. Decet enim dudum professionem nunc etiam aetatem nostram siquid scriptitandum est, grauiori potius, stilo operam ac tempus insumere, nec in eo immorari quod paucis intelligentibus mensuram syllabarum seruando canat, sed quod legentibus multis mensurata fidei adstructione deseruiat.

Diui